

II

AD AVGVSTVM CAESAREM

*Strophe Sapphica*

Iam satis terrīs nivis atque dīrae  
Grandinis mīsit pater, et rubente  
Dexterā sacrās iaculātus arcēs,  
Terruit urbem,  
Terruit gentēs, grave nē redīret  
Saeculum Pyrrhae, nova mōnstra questae,  
Omne cum Prōteus pecus ēgit altōs  
Vīsere montēs,  
Piscium et summā genus haesit ulmō  
(Nōta quae sēdēs fuerat columbīs),  
Et superiectō pavidae natārunt  
Aequore dammae.  
Vīdimus flāvum Tiberim, retortīs  
Lītore Etrūscō violenter undīs,  
Īre dēiectum monumenta rēgis,  
Templaque Vestae,  
Īliae dum sē nimium querentī  
Iactat ultōrem ; vagus et sinistrā  
Lābitur rīpā (Iove nōn probante) u-  
Xōrius amnis.  
Audiet cīvēs acuisse ferrum,  
Quō gravēs Persae melius perīrent ;  
Audiet pūgnās, vitiō parentum  
Rāra iuventūs.  
Quem vocet dīvum populus ruentis  
Imperī rēbus ? Prece quā fatīgēt  
Virginēs sānctae minus audientem  
Carmina Vestam ?

Cū dabit partēs scelus expiandī  
Iuppiter ? Tandem veniās, precāmur,  
Nūbe candentēs umerōs amictus,  
Augur Apollō ;  
Sīve tū māvīs, Erycīna rīdēns,  
Quam Iocus circum volat, et Cupīdō ;  
Sīve neglēctum genus et nepōtēs  
Respicis auctor,  
Heu nimis longō satiāte lūdō :  
Quem iuvat clāmōr, galeaeque lēvēs,  
Ācer et Mārsī peditis cruentum  
Vultus in hostem.  
Sīve mūtātā iuvenem figurā,  
Āles, in terrīs imitāris, almae  
Fīlius Māiae, patiēns vocārī  
Caesaris ultor :  
Sērus in caelum redeās, diūque  
Laetus intersīs populō Quirīnī,  
Nēve tē nostrīs vitiīs inīquum  
Ōcior aura  
Tollat ! Hīc magnōs potius triumphōs,  
Hīc amēs dīcī pater atque pīnceps :  
Neu sinās Mēdōs equitāre inultōs,  
Tē duce, Caesar.